Quelle: https://manuscripta.at/?ID=1210
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



xl
50

hi & voce tube corne Jubilate in aspectu regis
domini moueatur mare & plenitudo eius orbis
terrarum & qui habitant in eo: Flumina plaudent
manu simul: montes exultabunt a aspectu
domini quia venit iudicare terram Iudicabit
orbem terrarum in iustitia et populos in equitate
Dominus regnauit irascant populi: qui sedes
super cherubin moueatur terra Dominus in sion magnus
& excelsus super omnes populos Confiteantur nomini
tuo magno quia terribile & sanctum est & honor regis
iudicium diligit Tu parasti directiones: iudicium &
iustitiam in iacob tu fecisti Exaltate dominum deum
nostrum: & adorate scabellum pedum eius quia sanctum
est Moyses & aaron in sacerdotibus eius: & samuel
inter eos qui inuocant nomen eius Inuocabant
dominum & ipse exaudiebat eos: in columpna nu-
bis loquebatur ad eos Custodiebant testimonia eius
& preceptum quod dedit illis Domine deus noster tu exau-
diebas eos: deus tu propitius fuisti eis & ultus es
omnes adinuentiones eorum Exaltate dominum deum
nostrum: & adorate in monte sancto eius quia sanctus dominus deus
noster A Cantica mirabilia fecit dominus Jubilate
Jubilate deo omnis terra seruite domino in letitia
Introite in aspectu eius in exultatione Scitote
quia dominus ipse est deus ipse fecit nos & non ipsi nos
Populus eius & oues pascue eius Introite portas
eius in confessione atria eius in ymnis confitemini illi
Laudate nomen eius quia suauis est dominus: in eternum
misericordia eius & usque in generationem & generationem veritas
eius Jubilate deo omnis terra Canite